

siam in congregationem cum multitudine aliorum Patrum solita solemnitate procederet; et multos sibi occurrentes in charitate susciperet, in tantum, ut una religiosa nobilis matrona ejus desiderio commota navigans de Roma, cuin per internuntios suggerebat, ut eum videret, et ille non acquiesceret, illa [vero] confusa ait: Confido in Deum, quia videbo eum. Et sic constanter pergens jussu Domini reperit eum extra cellam; et procidens prostravit se ad pedes ejus, et tandiu jacuit, quoisque ille elevareret eam, et ita factum est, ut qui ante episcopum suscipere fastidierat, postea per Domini voluntatem fidem seminarum, licet nolens, susciperet in charitate. Quoniam in futuro iudicio non locum clausum, aut apertum, non monasterium, non villam, non vicum, non habitum, aut sexum, requiret Dominus, sed secundum proprium opus singulis retribuet.

DE NOVÆ VITÆ INSTITUTIONE.

Dilecte fili, dilige lacrymas: noli differre eas. Tantum promptus adesto lamentis quanto fuisti pronus ad culpam. Qualis tua fuerit ad peccatum intentio, talis ad poenitendum sit devotio. Sicut in profundum recesseras, ita revertere. Nulla res te de peccato securum faciat. Nulla te securitas vel deceptio blandiat. Incessanter in corde tuo spes et formido consistat, pariter spes, et metus, timor, et fiducia. Sic te spes indulgentiae erigat, ut metus gehennæ semper affligat, et timor semper emendet. Timor Domini expellit peccatum, et perimit vitium. Ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ. Valere te magis animo, quam corpore opto. Adversitas corporis remedium est anima. Si prosperitas exixerit, non extollaris; si calumnia contigerit, pusillanimus non exstes; probari te in prosperitate cognosce, non extolli, et bona, et mala, prout tibi eveniant, mente libera sustine. Si potes iram vitare, vel sustine, vel tempera. Discere mala tolerare, magis quam facere. Detrahentem errores dissimulando calca, contumelias detrahentium patientia supera: propria verbo aspero patientie scutum opponere: quamvis quisque irrideat, quamvis quisque exasperet, quamvis insultet, quamvis injuriam faciat, quamvis afficiat contumeliis: tu tace, tu dissimula, tu non loquaris, tu exerce silentium; injuria non respondeas, convicium non retorques; discere a Christo modestiam, discere tole-

rantiam; injuriam passus pro nobis, reliquit exemplum nobis: nam palmis percussus, flagellis caesus, sputis deritus, clavis confixus, spinis coronatus, cruce damnatus, semper tacuit. Magna virtus est, si non iudas, a quo Iesus es; et magna gloria cui potuisti nocere, parcas. Maledicenti benedictionem oppone. Irascentem patientia declinare satage. Mala aliorum bono tuo supera: non enim habebis indulgentiam, nisi dederis, et si ille non supplicat, et si ille dimitti non postulat, tu relaxa ex corde, tu dimittit ex animo, ut Pater tuus qui in cœlis et dimittat tibi, sicut tu dimittis debitoribus tuis, hoc est, tibi consequentibus, tibi maledicentibus, et tibi calumniantibus. Alienæ nequitiae non serves dolorem. Invidia pestifero ardore bona composita devorat, invidia animum velut tinea comedit: pectus urit, mentem afficit, cor hominis, quasi pestis, depascit: occurrat enim contra zelum bonitas, adversus invidiā charitas præparetur. Retine semper vinculum constantiae. In omnibus actionibus tuis imitare bonos, emulare sanctos, habeto ante oculos exempla sacerdotum; sint tibi documenta Patrum, disciplina incitamenta; nec favor te seducat, nec vituperantia frangat: qui laudem non appetit, nec contumeliam seniit. Quid enim prodest, dum malus es, bonus dicaris? Discerne te iudicio tuo, non alieno; qualis haberi vis, talis esto. Professionem tuam non in habitu, sed in incessu demonstra. Sit in ingressu tuo simplicitas, in modo puritas, in gestu gravitas, et in incessu honestas appareat, nihilque levitatis: Gressus tui alterius oculos non offendat, nec des alii locum de te detrahendi. Fuge improbos homines, et iniquos, maxime eos qui ad vitia proni sunt. Socios bonos tibi conjunge, quia si fueris socius bonæ conversationis, eris et virtutis. Respuie sermones impudicos, sermo enim vanus vanæ conscientiae indicium est. Mens hominis lingua panditur; et qualis sermo ostenditur, animus comprobatur: loquere non quodlibet, sed quod oportet. De malo alterius os tuum non coquinies: iudicia tua, non aliena, attende. Quod ad te non pertinet, noli inquirere, nec quod inter se dicunt homines nunquam scire desideres. Quibus, adimplentes legis verbis, vitam æternam assequeris.

VITA SANCTI FRUCTUOSI BRACARENSIS EPISCOPI.

(*Ex Actis ordinis sancti Benedicti.*)

MABILLONII OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Sequens Vita S. Fructuosi regia ex stirpe editi, abbatia, monasteriorum ac monachorum plurimorum institutoris, deindecumque episcopi Bracarensis, scripta est ab auctore gravi quidem ac subpari, at Latinitatis ignaro: qui et quantum fideli narratione cognovit, pauca de S. Fructuosi principio ac fine vitæ perstrinxit, et sicuti in Præfatione protoquitur. Istam scriptiōnem S. Valerio abbatu monasterii S. Petri de Montibus tribuant Sandovalius et Tamayus (*Ad an. 605*): tametsi inter hancce Vitam et fragmentum

Sermonis ipsius sancti Valerii in Concordia Regul. cap. 3, § 7, relatum nonnulla videtur styli diversitas. Auctor in hoc opere testes adducit Fulgentii discipulos, Benematum cap. 12, Julianum cap. 15, Cassianum cap. 21, a quibus narrationis sue materiam acceptit. Istam incubrationem e membranis crenobii sancti Petri de Arlanza anno Christi 912 exaratis acceptam ediderunt Prudentius Sandovalius pars Fundat. monast. Hispan., et Johannes Tamayus Salazar in Martyrol. Hispan. ad diem 16 Aprilis; sed re-

sertam mendicem prope infinitis, partim ex amanuensium vita, partim ex ipsis auctoris barbarie: quas mendicas pluribus in locis emendavimus; alias, quae quidem ipsius auctoris esse videntur, retinuimus. Quales sunt hunc *habitaculum, eundem hospitium*, cap. 1; *Cenobium Complutensem*, cap. 2; et cetera id genus, ut et participia pro verbis ipsis, revertens pro revertitur eodem loci et alibi passim: que stribilgines non tam scriptoris ingenio quam saeculi corrupte tribuendae sunt.

2. Menardus noster, in Praefatione secunda ad Concordiam regu., tres distinguere videtur Fructuosos, unum Bracarensem episcopum, quo de nunc agimus; alterum Fructuosum abbatem; tertium Fructuosum episcopum Segobiensem: quem tamen non *Fructuosum*, sed *Fructum* appellandum esse censem Tamayus Salazar. An *Fructuosus* abbas alius sit a *Fructuoso* Bracarensi autistite, merito dubitare licet. Fundamentum Menardi unum ab altero distinguenter petitur ex duplice Regula *Fructuosi* nomine inscripta, e quarum altera, inquit, est magni illius *Fructuosi* pontificis Bracarensis, quae complectitur quinque et viginti capita. Quod satis notum est ex cap. 18 ejusdem Regulae, in quo statuitur una *Quadragesima* jejunanda ante festum SS. Justi et Pastoris, quam sane instituit S. *Fructuoso*, quia suum monasterium dedicatum erat sub patrocinio horum SS. martyrum. Altera Regula est cuiusdam alterius *Fructuosi*, qui in hac Concordia a superiori distinguitur, et si interdum hi duo *Fructuosi* exscriptorius incuria confundantur. Mittimus testimonium a Menardo ex *Pseudo-Maximi Chronico* adductum, quod ipse (uti per est) nihil pene ducit. *Utramque Regulam* (pace doctissimi viri dictum sit) ejusdem auctoris esse *Fructuoso* Bracarensis episcopi, res videtur exploratio. Prima, constans capitulis 23, directa est monachis; secunda viris et feminis ad conversionem venientibus, diciturque Regula monastica communis, ac capitalis 20 absolvitur. Cur posteriorem istam Regulam composuerit *Fructuoso*, discimus ex subiecte Vitæ capite 17. Quippe et tanta in utroque sexu almidia florebat sanctitas, atque eximia crescebat fama perfectionum, ut viri cum filiis suis ad san-

A etiam se converterent congregacionem monachorum; metrone vero cum filiis suis sancto se sociarent consortio puellarum. Hinc Regula communis caput sextum: « Qualiter debeant viri cum uxoribus ac filiis absque periculo vivere in monasterio. » Id tamen ita statuitur. ut monachi cum sororibus uno monasterio habitare non audeant, neque oratorium commune habere praesumant. Quod toto cap. 15 et sequenti late cavelur. In ultraque illa Regula consonant non patet. Caput vigesimum quartum de *senibus* et caput vigesimum quintum de *die Dominico*, quæ in Regula monachorum, seu prima, apud Holsteium desunt, inseruntur iisdem omnino verbis ac sententiis in regula communi seu secunda, et capitula octavum ac tertium decimum constituant: *Ideas ex missis*. codicibus restituendum monemus.

3. Nec sententiae nostræ obstat, quod in Concordia Regul., cap. 4, § 3, post citatam S. *Fructuosi* episcopi Regulam, refertur locus ex Regula alterius *Fructuosi*, qui locus est caput tertium Regulae communis. Ibi enim legendum putamus ex *Regula altera Fructuosi*. Certe Regula secundæ seu communis auctori, qui in Concordia Regularum quindecies laudatur, episcopi nomen tribuitur tribus in locis, nominum cap. 3, § 5, et cap. 28, § 3. Porro cap. 27, § 2, adducitur caput undecimum Regulae secundæ, sequenti vero paragraphe caput tertium primum cum hac inscriptione: *Hec eiusdem*. Neque vero semper in eadem Concordia auctor primæ Regulae vocatur episcopus: siquidem ex tribus ac triginta locis in quibus testimonia ex ea producuntur, duodecies sine episcopi titulo memoratur. Denique in endem opere conditor secundæ passim, ut et primæ scriptor, sanctus exprimitur.

4. Observare denum juvat, fragmentum quoddam de diversitate tulparum super Regulam S. Benedicti, quod in nonnullis libris miss. *Fructuoso* adscriptum reperitur, indignum omnino esse *Fructuoso*: cuius de Regula conformitate cum Benedictina pluribus egimus in Praefatione ad saeculum 1, § 6, num. 75. *Fructuoso* Vitam attendamus, cuius haec inscriptio in apographo exstat.

INCIPIT VITA

VEL MEMORATIO MIRABILIORUM,

QUE DEUS PER BONI OBSEQUII FAMULATUM SANCTISSIMI FRUCTUOSI EPISCOPI AD CORROBORANDAM FIDEM CREDENTIUM STATUIT AD SALUTEM.

PROLOGUS. — Postquam antiquas mundi tenebras supernæ veritatis nova irradiavit claritas, et a sede Romana, prima sancte Ecclesie cathedra, fidei catholice dogmatum fulgurans rutilaret immensitas, atque ex Aegypto orientale provincia, excellentissima sacrae religionis premiterent exempla, et hujus Occiduum plaga exigua perluceret extremitas, precipue claritatis egregias divina pietas duas illuminavit Internas, Isidorum reverentissimum scilicet virum Spalensem episcopum, atque beatissimum *Fructuosum* ab infantia immaculatum et justum. Ille autem oris nitore clarescere, insignis industria, sophistica artis indeptus primitias, dogmata reciprocavit Romanorum: hic vero in sacratissimo religionis proposito Spiritus sancti flamma succensus, ut in cunctis spiritualibus exercitatus omnibusque operibus sanctis perfectus emicuit, ut ad Patrum se facile (*Deest affidit*), quorum æquare antiquorum meritis Thebaeorum. Ille activæ vita industria universam extrinsecus eruditivit Spaniam: hic autem contemplative vite

peritiam vibrante fuligore means, intima cordium illuminavit arcana. Ille egregio rutilans eloquio in libris clarior ædificationis: hic autem culmine virtutum coruscans, exemplum reliquens sancte religionis, et in hoc gressu secutus est vestigia praecantoris Domini nostri et Salvatoris: cujus tantum ineffabilia sunt virtutum ejus prodigia, quod nostra nuncupare non valet ineptia. Quantum fidei narratione cognovi, pauca de principio vita ejus et sine disserendo perstringam.

CAP. PRIMUM. — *Regio ortus genere fit clericus. Deum habet vindicem.* Hic vero beatus ex clarissima regali progenie exortus, sublimissimi culminis, atque ducis exercitus Hispanie proles, dum adhuc puerulus sub parentibus degeneret, contigit ut quadam tempore pater ejus eum secum habens inter montium convallia Bergendensis territorii, gregum suarum requireret rationes: pater autem suus greges describebat et pastorum rationes discutiebat. Hic vero puerulus, inspirante Domino, pro ædificatione monasterii alta

³ Pagus seu tractus Bergendensis seu Vergenden ac Vergidensis, hodie vulgari nomine Vierzo, situs inter Legionis montes et Gallaciam, teste Anton-

nio Yezo, S. *Fructuoso* ortum dedisse a nonnullis creditur: tamen Tamayus Salazar *Fructuosum* Toleto civitati vindicare in Martyrologio conatur.

loca pensabat, et intra semetipsum retinens, nemini manifestabat. Post discessum igitur parentum, abjecto seculari habitu, tonsaque capite cum religionis initia suscepisset, tradidit se erudiendum spiritualibus disciplinis sanctissimo viro ^a Conantio episcopo. Cumque aliquanto tempore sub illius degeret regimine, provenit ut quodam die possessionem Ecclesie ingressi, illius praeventes ^b paricelluli cum ei ad manendum hospitium præpararent, qui iam de suorum pectoribus ^c lan servitoribus? sedis ipsius adveniens interrogavit dicens : Quis hunc occupavit habitaculum? Responderunt : Fructuosus. Statim insana temeritate frustratus, jussit ejus sarcinolum foris projicere, et sibi ibidem præparare. Quod ille patienter tolerans siluit. Cum enim intempestæ noctis silentio omnes quiescerent, subito cumdem hospitium ab ira furoris Domini veniens ignis succedit cum intus eodem habitaculo, quod ut adsolet minimi haberetur. Recto videlicet iudicio Domini, ut eundem habitaculum, quem typo superbie turgidus usurpaverat, orante sancto adolescenti cum ingenti periculo, perturbatione atque infiria et jacture tribulatione desereret.

Cap. II. — *Monasterium Complutense exstruit.* Post haec revertens ad locum illum solitudinis supra mezzanatum, ut devotionem quam dudum parvulus elegerat, jam perfectus impleret. Nam construens ^c coenobium Complutensem, iuxta divina præcepta, nihil sibi reservans, omnem a se facultatis sue suppellectilem ejiciens et ibidem conferens, eum locupletissime ditavit, et tam ex familia sue, quam ex conversis e diversis Hispanæ partibus sedulo concorrentibus, eum agnitus monachorum affluentissime complevit. Sicut scriptum est, quia semper sanctitatem æmulatio insequitur inimici, et contra bonitatem pugnat malitia; illico invidas vir iniquus, sororis ejus maritus, antiqui hostis stimulis instigatus, coram rege prostratus surripuit animum ejus, ut ejusdem pars hereditatis a sancto monasterio anferatur, et illi quasi pro exercenda publica expeditione conferretur. Quod cum huic beatissimo compertum est, statim tulit ecclesiæ vela, et sancta nudavit altaria, et ^d ciliis induit ea, atque scripsit et direxit illi epistolam confusionis et increpationis Dominique combinationis, se quoque convertit in jejuniis et ductu, et lacrymis atque prolixitate orationis. Cum ita ageretur, statim ipse sanctorum æmulus et boni operis adversarius ultione divina percussus citius vitam finivit. Sicque factum est, ut qui oblationes sanctorum quærebant auferre, ipse crudeliter de hoc saeculo absque liberis discederet, et facultates suas

^A alienis relinquens, et ipse secum solam præditionem portaret.

Cap. III. — *Secedit in solitudinem.* Hic vero sanctissimus confirmans cunctum regularem ordinem, constituensque coenobii Patrem cum ingenti discretionis rigore. Et quia rumor gloriae sanctitatis ejus cunctas peragravat regiones, cum ex multititudine diversorum occurrentium cerebram patretur inquietudinem, humanam fugiens laudem atque favorem, egressiebatur a congregatione, et nudus vestigiis penetrabat loca nemorosa, argis densissima, aspera et fragosa : ubi per speluncas et rupes, triplicatis jejunis, et multiplicatis vigiliis, et orationibus vacabat.

Cap. IV. — *A venatoris ictu servatur illæsus.* Contigit enim, ut dum quodam tempore in cuiusdam rupis gradibus melotem ex capreis pellibus indutus enixus oraret, adveniens quidam archiles [Al., agrestis] venationis exercens insidias, cum vidisset eum super unum rupis gradum in oratione prostratum, existimans in rupe esse venationem, tendens [tendit] arcum : et cum libras et ictum ut dimitteret sagittam, providentia divina sollicitus erexit manus cum oratione ad eum. Ille vero intelligens quod homo esset, relinuit ictum. Post haec ostendens [ostendit] ei se haec cuncta referens : ipse vero beatissimus rogavit eum ut nemini manifestaret.

Cap. V. — *Monasteria varia adficat.* Post haec denique in vastissima et arta atque procul a sæculo remota solitudine, in excelsorum montium finibus extrenus monasteriorum Rustianensem, et erga sanctum altarium se in angusto et parvulo retrusit ergastulo. Cumque ibidem aliquanto tempore quievisset, egressa est omnis congregatio Complutensis coenobii multitudine monachorum : pie violenti, venientes ejercent eum de eadem clausura, et ad pristinum reduxerunt locum. Demum itaque egrediens, inter [in] Bergendensis territorii et Gallæciae provincie confinibus ædificavit monasterium Visumense.

Cap. VI. — *Mare tranat absque nari.* Monasterium in insula condit. Atque postmodum ex alia parte Gallæciae in ora maris construxit monasterium Pheoneensem. Et dum multa illi intentio esset navigandi in mare in longinquæ ponti pelago, non grandem reperit insulam : ubi dum concupisset cum Dei juvamine fundare monasterium. Egredientes autem ad terram, naviculam per quam transfretaverant, per negligientiam incurii nautæ solutam reliquerunt. Et dum intentio cum discipulis suis sub quadam rupe

^a Legendum videtur Tonantio. Duo erant tum temporis Tonantii episcopi, Palentinus alter, alter Toletanus ex abate Agaliensi, alii Venantius et Conantius dictus, qui Adelphio antistiti Toletano successit. Utri commissus fuerit Fructuosus, disputant Hispani scriptores. Præferenda videtur sententia de Tonantio seu Conantio Toletano; cui in sede regia consistenti regius puer Fulgentius communiodius traxi potuit. Quanquam non desunt rationes in gratiam Conantii Palentini, qui et Bergendensis regioni, Fructuosi ditioni vicinior erat; et eloquio facundus et gravis predicatorum ab Hildefonso in lib. de Script. Eccles. cap. 41.

^b Sandovalius legit puricelluli, Salmanazar puericelluli : lectio nostra sensui accommodatior videtur.

^c Coenobium Compluticum seu Complutense, Monasterium SS. Justi et Pastoris ab S. Eulogio Cordubensi dicitur, describiturque in Memor. Sanctor. lib. II, c. 41, in hunc modum. Est in interiori montana Cordubensi, loco qui dicitur Fraga, inter elivo: a montium et condensa silværum, contum viculi Lejuensis, qui a Corduba distat quinque milliarib[us] lus[tris], id est viginti quinque milliarib[us]. Quo in loco Cordubam interpretare, non civitatem, sed montem Cordubam in Lusitania et regno Portugallico, pago Portuensi, quem montem incolae Corvan vocant. In privilegio

Chindasvinti regis Fructuoso abbati concessa e Basiliæ vel monasterium SS. Martyrum Justi et Pastoris, sive S. Marie et S. Martini episcopi, situm est juxta rivulum qui dicitur Molina, sub monte Irago, in confluo Vergidensi. Antonius Yepesius putat ideo fuisse dictum Complutum, quod sanctis martyribus Complutensibus Justo et Pastori sit dedicatum. Porro Complutum oppidum, nunc Alcalæ de Henares appellatum, in regno Castellæ Madriti finitum, longissime abest a montibus Asturicensibus, in quibus situm erat Compluticum monasterium : quod an hodie supersit, discere non potuimus.

^d Alia id genus exempla passim in sanctorum Actis reperies. In libro Mirac. S. Bened. per Adrevaldum, c. 26, cum per quidam armillas e S. Benedicti basilica abstulisset, Christianus auditus S. Benedicto dixisse fertur : Crede mihi si armillas tuas non restituerint, nec unam tibi candelam accendant. Et S. Eligius teste Audoeno in ejus Vita lib. II, cap. 30 : Audi, inquit, S. Columba quæ dico : rovit meus Redemptor, nisi cito orna menta tibi bernacul huic furata redixeris, e quidem spolis aitatis faciam. hanc manuam ita obscurari, ut non tam tibi in hoc loco veneratio præbeatur alibi. Tales orationes non dubius sequebatur effectus. Quid enim candidis auris non tribuat simplicitatis Amator?

laboraret, ut aqua dulce produceret, expleto autem opere cum retransmeare voloissent, impulsu igitur inimici, volventibusque procellis, vident ipsam naviculam in longinquu maris freto inter undas projectam. Et dum omnes ejus discipuli facta sibi difficultatem disperationem se gravi merore deprimenter, ipse vero oratione facta se in tam longinquu maris pelago solus projectit. Illi autem duplo luctu et ejulatu amarissime perstrepebant, et illius periculum formidantes, et suum interitum deplorantes. Et cum jam præ nimia longinquitate ab oculis eorum abscondetur, et in integrum ruerent desperationem, post multa vero horarum spatia procul intuentes, vident ipsam naviculam paulisper propinquare. Postquam vicinius applicuit, cernunt eum in eadem sedentem et cum gudio remeante: quem cum summa letitia suscipientes retrorsum taverunt cum exultatione. Ad idemque [eamdemque] demum regrediens insulam in qua eum incipientem sancti operis principium invidus atque iniquus impedit dum tentaverat inimicus, promissum cum Dei juvamine construit monasterium, solito exercitio eum dedicans, strenue reliquit munitionem.

CAP. VII.—*Multos ad se trahit.* Rumore eximiae sanctitatis ejus enixus crebrescente, multæ idoneæ ac nobiles personæ etiam de palatio, servitium regis relinquentes, ad ejus sacratissimam sitiente conseruent disciplinam: ex quibus plerique ad pontificalem, duce Domino, concenderunt honorein. Inter quos unus sophisus [Forte sophie], intelligentiaque peritiam indeptus nomine Teudisilus opitulante Domino atque saepdici beatissimi suffragante præsidio, in abditissima solitudine, in locum qui nuncupatur Castrum-Leonis egregium ædificavit monasterium, et in ipso permansit usque ad finis suæ terminum.

CAP. VIII.—*Recapitulatio. Latebras querit.* Igitur præfatus beatissimus Fructuosus sese Domino nimirum ab ineunte ætate carum exhibuit. Post hæc denique contemptis inlecebris mundialibus, omnem exinxii sui patrimonii copiam ecclesiabus sanctis, libertis suis, atque pauperibus erogavit. Deinde ad eremi pertendens loca, monasteria plurima fundavit, in quibus multas animas monachorum per bonam conversationem et sanctam disciplinam eruditivit. Ipse vero dum ibi coenobiali ritu cunctis communorantibus modum recte vita constitisset, et aliquandiu illic deguisset, devitans frequentes populi concursus, abditissima eremi loca petiit, ac frondosis, secretisque nemoribus ita se oculi [oculere] studuit, nunc altissimis locis, nunc densissimis silvis, nunc etiam rupibus, quæ solis ibicibus perviae sunt, latebrando latitans, ut non humanis, sed divinis oculis cerneatur.

CAP. IX.—*A graculis proditur.* Sed dum, opitulante Domino, idem vir sanctus in reprehensibili eremiticam perageret vitam, cumque multi diligenter crebrius visitatione requirent et non reperissent, idem vir nigras parvasque aves, quas usitato nomine vulgus gragulas [graculos seu gracculos] vocitant, mansuetas in monasterio habuisse perhibetur. Quæ pertinentes volatu per diversas partes silvarum, eosque volitantes perquirebant, quoisque repertum cunctis inquirentibus ejus sanctas latebras suis garris vocibus proderent, atque omnibus propalarent. Tunc deinde universi ad eundem virum cuu gaudio magno properabant. Denique, sicut supra diximus, multis miraculorum signis crebre effulsit, et miro virtutum opere admittente divino adminiculo sapissime coruscavit. Ex quibus sacris virtutibus, opitulante Deo, jam nunc aliquid fari incipiamus.

CAP. X.—*Damulam venatoribus subductam habet familiarem.* Quadam namque die, ut fertur, venantium turba cum canibus damulam persecuebantur. Jam quidem multo spatio victa bestiola cum andicis campis late patentibus mortem immunire spem cerneret, ita ut pene jam ab ipsius canibus

A comprehenderetur, siveisque eorum morsibus decerpatur; idem quoque vir Dei iter suum incognita venantium causa peragebat. Ipsa nimirum bestiola dum jam nullum uspiam sibi conspiceret adesse perfugium, mox ut vidit virum Dei, illico sibi ab eo defensionem propositam protinus pro percipiendo vita suffragio incunctanter sub ejusdem viri Dei amphibalum ingressus est: quam ille statim ab omni improborum hominum persecutione defendit. Mox etiam canes procul ahigi jussit, atque ad monasterium eam secum sua sponte venientem perduxit. Quæ, ut dicitur, tantum ab illa die mansueta effecta est, ut ubi cunque ille abiret, eam nullus de ejus vestigiis disjungere valeret: sed si vel paululum ab ea recedere, nunquam halare, aut vocibus strepere cessaret, quoisque ad eam denuo rediret. Nimirum tantæ erat mansuetudinis, ut veniens frequenter in lectulum ad pedes ejus recubaret. Quam ille in silvæ monasterio sœpe dimittere jussit. Illa vero, non immemor tanti beneficij gratia, silvam quæ eam nutrierat contemnebat, et liberatoris sui presentiam ocius occurrebat. Instantum scilicet, ut si ille quocumque profectus fuisset locum, suis eum vestigiis quoisque reperiaret per longum itineris spatium prosequeretur. Cumque diutissime hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis longe lateque fama crebrescere. Sed quia antiquus hostis unde bonos cerni enitescere ad gloriam, inde perversos per invidiam rapit ad poenam; quidam namque juvenis vesanæ spiritu inflatus, itmo potius invidiæ igne succensus, desidente [absente] sanctissimo viro ipsum bestiunculam morsibus canum intermit. Sed cum post aliquos dies sanctissimus vir ad monasterium fuisset regressus, sollicite requisivit quidnam cause esset cur caprea sua ei solito more tunc minime occurreret. Cui protinus dictum est, quia dum in pascuæ silvarum suis set ingressa, veniens puer ille intereret eam. Qui mox genua sua summo cum dolore in conspectu Domini flectens, semetipsum in pavimentum prostravit, sed nutu Dei illico inferre non distulit supplicium presens divinæ majestatis severissima ultio. Ipse ille juvenis gravi febribus languore statim correptus, mox ab eo flagitare per internuntios cœpit, ut pro se Dominum supplicaret, ne juxta suam pessimam temeritatem, divina percusus ultione crudeliter exitu vitam finiret. At ille statim ad eum profectus Domini imploravit misericordiam, ac inanum suum super eum posuit: et illic ægrolo ipso non solum corporis salutem pristinam reddidit, verum etiam simul et animæ ejus infirmitates sacra oratione curavit.

CAP. XI.—*Rustici violentas manus signo crucis compescit.* Aliud quoque summæ patientiae miraculum narrante quadam fideli viro comperimus, qui nobis retulit supranominatum virum alium quadam die cum ceteris comitibus sui itineris per loca quæ urbi Eltanæ contigua sunt pergeret, atque provinciæ Lusitanæ eximiam urbem Emeritam ob desiderium egregie virginis Eulalie peteret, quatenus inibi sacra vota mentis suæ sacratissimis persolveret cordis sui affectibus, ut fusis in conspectu Dei dulcissimis precibus perceptisque a Domini Jesu Christi largiflava pietate postulationis effectibus, ad insulam quæ in territorio Gaditano sita est properans, admittente Domino, perveniret. Sed, ut supra diximus, dum in Eltanæ partibus viæ suæ carperet iter, accidit ut cuncti qui collegio beatissimi viri iter agebant, paululum præcederent: ipse vero subiitens in abditu nemorum, silvarumque densarum secretissimo loco paulisper orationibus incubuit. Qui dum homo prostratus jaceret, antiquus hostis omnium bonorum semper invidus quemdam rusticum ac plebeium vitrum confestim ad locum quo vir Dei orabat furibundus perduxit. Qui dum virum Dei eminus vidisset, eumque singularem, vili habitu, excalciatis nudisque pedibus, inter fruteta conspexisset, ut sese habet rustica mens eum ex vilitate cultus contemnens, ad

eumdem virum temeritate insanire fretus propius accessit, eumque fugitivum existimans, procaciōribus verbis conviciando laceravit, ac nihil cunctatus idem rusticus petulanter multis contumeliis verborum eum objurgavit. Sed dum vir Dei respondens tranquilla mente diceret : Plane fugitivus non sum, et ille e contrario fugitivum omnibus modis esse perhiberet, et eosque instinctu diaboli irritatus est, ut eum vecte quem gestabat manibus ictu verberaret. Quod cum vir Dei patienter sustineret, et ille percutere non desisteret, mox ei signum crucis fecit : statim eum d̄emon in terra allisit, atque ante pedes sancti viri resupinum corrovere fecit. Et eosque debacchando lanavit, quoisque eo in proprio sanguine involutum crudeliter discerpens cruentaret : sed vir Dei sanctus protinus oravit, et pristinæ eum sanitati absque ulla difficultate restituit.

CAP. XII. — *Codices in aquam mersos intactos recuperatae.* Nunc igitur non prisca, sed moderna; non vetera, sed novella; non vanis quibuslibet fabulis ficta, sed miracula veritatis indicio declarata, narrante venerabili viro Benenato presbytero, quemadmodum gesta sunt veraciter competrimus. Et ob hoc hujus in paginula breviter seriem, sicut ad nos perlata sunt, adnotari omni cum veritatis studio procurabimus. Denique jamdictus fidelissimus vir retulit dicens : *Dum de provincia Lusitanæ cum sanctissimo viro Fructuoso ad provinciam Beticam pergerem, et imbriferi aeres immensas ac juges pluvias, utpote biennis tempore, per multos dies indesinenter exhiberent, et ex multiudine imbrium nimium flumina excrevissent; accidit die quadam puerulum cum cavallo, qui codices ipsius viri Dei gestabat, dum transneare cum ceteris collegis suis nittitur, in amnis fluente profundissima cecidisse et diutissime baratro gurgitum cum ipsis librī demersum fuisse.* Tandem igitur, suffragante Domino, a lympharum discriminē creptus, ad crepidinem alvei, madefactus licei, perlungere tamen meruit incolumis. Idem autem sanctus vir paulo post eos pede proprio, ut ei semper mos erat, absque vehiculi juvamine properavit. Cumque ad suos pervenisset comites, dictum est illi quod omnes codices sui in aquam cecidissent. Ille vero in nullo penitus comitotus, sereno vultu hilarique facie absque aliqua mæstia ejici de marsupiis, et sibi presentari præcepit. Sed ita eos reperit siccos, ut illos fluvialis liquor nullo modo contigisset, nec madidus humor vel tenuiter infuscere potuisset.

CAP. XIII. — *Sublati remis, nave orando flectit.* Aliud quoque mirabile factum quod a supradicto viro referente cognovi, silentio occultare non debeo. Quadam die ipse beatissimus Fructuus devotionis implendæ gratia de civitate Spalensi ad basilicam S. Gerontii navigio profectus est. Dun ibidem desiderii sui volta admittente Domino devotus persolvisset, et vesperascente die iterum redire unde venerat dispossuit, nautæ ipsi, qui per longa spatio pelagi navem gubernaverant, fessi labore navigi, non solum vires ad gubernandam navim non habere se dixerunt, verum etiam quod diei pars extrema jam superesset, cœperunt querimoniari. Quibus ille ait : *Deprecor vos, ut accipiatis paululum cibi refecionem, et quia lassi estis, vel pusillum quiescatis, dum et ego officii mei impleo cursum. Nam et hoc quero, ut remos hujus navis tollatis, et sic paululum dormiatis. Quibus statim obedientibus, et juxta preceptum rema [remos] navicula auferentibus, vel etiam dormientibus, illico sanctissimus vir orans, et officium sacrum cum suis fratribus perfungens, nullo homine naveam contingente, sed Dei sola manu gubernante, ad ulteriore annis ripam celeriter transmeavit.* Nautæ vero subito expergacti supervacuas

A eidem viro inferebant querelas dicentes : *Transfrenimus jam, quia in noctis tenebris non bene possumus navigare.* Quibus ille ait : *Nolite, o filioi, vos fatigare, quia absque vestro labore Dominus nos ubi desiderabamus jam perduxit.* Qui cum surrexissemus atque se in alternam partem fluminis esse conspexissent, obstupesci turbatique mirabantur quidnam fecisset Deus.

CAP. XIV. — *Commodum tempus prædictum. Cœnobium in Gaditana insula erigit.* Nam et aliud retulit quod omnino verum esse affirmavit dicens : *Quadam Dominica die dum imbræ procellosi inestimabiliter essent, idem sanctissimus vir de civitate Spalense ad insulam que sita est in territorio Gaditano (Cádiz in Baetica) pergebat : quem dum multi cives præfatae civitatis vel etiam antistes ipsius urbis obnixe ibidem retinere vellent, ut quia dies Dominicus erat, vel certe quia aerum non esset temperies, si non amplius, saltem usque post missam ibi sustinere annueret. Quibus ille taliter respondisse fertur : Nolite, obsecro, me retinere, quia Dominus direxit viam meam : sed si pro mea injurya satagit, et aliquid pro ista pluvia formidatis, certissime sciatis, quia hodie amplius pluvia quam usque ad secundam diem horam non erit. Quod ita gestum omnes viderunt qui præsentes fuerunt. Et postquam ille hora secunda naveam concendit, statim pluvia desiit, et usque quartum diem, quandiu ad locum quo tendebat per'accederet, non pluit, sed tribus diebus juxta quod prædixerat multa tranquillitas fuit. Unde conjicere possumus, quia tardi minime pluit, quandiu sanctus vir navigans, in locum destinatum perveniret. Cumque præfataam suffragante Doinino, Gaditanam ingressus fuisset insulam, ex alia parte quasi sol oriens illuminaturus Spaniam, ædificavit sanctum ope Domini monasterium, solitoque cœnobiali ritu regulare eum instruxit exercitii rudimento.*

CAP. XV. — *Omnes ad se trahens, a rege impeditur.* Denique in abdita vastaque et a mundana habitatione remota solitudine præcipuum et mira magnitudinis egregium fundavit cum Dei juvamine cœnوبium, et quod ab ora maris novem millibus distat, et nomen dedit Nono, sicut a religioso viro Juliano presbytero, qui in eodem cœnobia adolevit ex parvulo, fidei narratione cognovi breviter intimabo. Tanti gloriosissimi et incomparabilis viri rutilo fulgore radians exemplo meritorum, ita ardore fidei accedit animos populorum, ut catervatim undique concurrentium agmina conversorum immensus fierat chorus. Et nisi dux exercitus provincie illius vel circumscriptus undique continibus regi reclamasset, ut aliquantium prohiberetur, quasi fur fuerit ; personas non esse quae in expeditione publica proficiscerentur ; innumerabilis se debuit congregare exercitus monachorum : ita ut non solum virorum, sed etiam animi inflammarentur seminarum. Et cum in eodem sancte congregationis loco accedendi aditus non esset mulierum ordini, referam quemadmodum facta est congregatio puellarum.

CAP. XVI. — *Benedictæ cellam parat.* Quædam virgo sacratissima, nomine Benedicta, claro genere exorta, atque ex Gardingo regis sponsa, ardore fidei et flamma ardoris sanctæ religionis succensa, suis occulte fugiens parentibus, sola ingressa est diversa ereni loca, et sic impervia et ignota errando deserta, tandem duce Domino appropinquavit ad sanctam cœnobii congregationem. Non audens peraccedere, sed procul in deserto persistens, suggestis per internarios sanctissimo Dei viro, ut ovem errantem de luporum fauibus liberaret, et in viam salutis dirigeret, et animam querentem Dominum spiritualibus disciplinis instituisset [institueret], qualiter

Gardingis, etc. » Quam vocem sepe in legibus Visigothorum repertis, tametsi Hispani modo ejus significatum non satis intelligunt.

* Id est Gardingi regis sponsa. Gardingos optimates seu palatinos viros interpretare. Inuit concilium Toleta: uin xii, cap. 2, his verbis : « De accusatis sacerdotibus, seu etiam optimatibus palatiis atque

hoc a Domino, qui ovem perditam humeris suis reportavit acciperet. Ille vero haec audiens immensus omnipotenti Domino retulit gratias, et jussit ei in eadem deserti silva parvam facere mansioνem. Et ut praeformat vir referebat, quia de senioribus nullus ad eam adpropinquare audebat, sed ex nobis parvulis unusquisque vice sua illi litteras ostendebat, et substantiam ministrabat: et ita cum media coniuratione suggestis, ut nunquam illi cibus alijs portaretur, nisi cum beatissimus vir, licet medium noctis, reficeretur, et ab eo sanctificatus illi dirigeretur.

CAP. XVII. — *Benedicta socias congregat. A morto frustra repetitur. Moritur.* Haec nemp̄ spiritualibus studiis indepta diligenter, cumque ejus fama per diversas terras fuisse laudabiliter propalata, tantus desiderii amor inflammabat ceteras diversorum filias, ut undique alacriter confluerent eximiae seminarum caterve, ita ut intra breve temporis spatium octogenarius in congregatione numerus sacrarum virginum completeretur: quibus in alia solitudine more solito construit monasterium. Tanta itaque in utroque sexu almilica florebat sanctitas, atque eximia crescebat fama perfectionum, ut viri cum filiis suis ad sanctam se converterent congregationem monachorum: matronae vero eoru cum filiabus suis sancto se sociarent consorcio puellarum. Sponsus vero s̄epedicta virginis domnae Benedicta cum dolore et incerte ingenti flebiliter adversus eam immissus perfida ^a Naboris invidia inimici suggestis regi. Sicque de presentia regis lebavit [levavit] judicem, qui inter eos examinaret judicij veritatem, comitem nomine Angelate, qui veniens ad monasterium virginum regia praecinctu auctoritate, compulit praepositum virginum ut p̄ficiatam virginem de congregatione seceriens presentaret, qualiter sponso suo responderet; que cum violenter fuisse egressa, ita oculis coelum intendens recitando intra se insistebat, ut faciem illius minime videret. Cumque ille adversus eam assereret, ita per gratiam Domini Spiritu sancto repleta cum paucis adclusit [Forte, id elusus] verbis, ut ultra ei quid diceret non haberet. Tunc ipse judex dixit: Dimitte eam Dominino servire, et quare tibi aliam uxorem. Post haec camdem sanctissimam virginem iussit divina pietas intra breve temporis spatium de hoc saeculo migrare. Ita factum est per ineffabilem Domini electionem, ut que in sancta conversatione cunctarum sacrarum virginum illarum praecesserat chorum, praecedret, et in sancta conversatione ad supernam gloriam regni celorum, per eum qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

CAP. XVIII. — *Fructuosus nunquam sine fructu.* Beatissimus vero Fructuosus cumque exemplo suo excellentissimae sanctitudinis coruscitem splendida claritate cunctam illuminasset Spaniam, atque per singulas diversarum regionum congregations monachorum ad instar innocui cordis sui perfectorum enutritset agmina discipulorum, ita ut usque hodie nuperrime convertentes, per ordinem priorum discedentium sanctorum vicem suscipientes, illius antiqua quasi hodierna florent exempla, et usque in finem mundi fructus operis ejus gignat, et gloria semper innovet memoria, atque in regno celorum gregis ipsius multiplicentur quotidie agmina copiosa.

^a Sandovalius et Tamayus legunt *laboris*: at *liboris* pro *lavoris* legendum esse sensus coherentia persuadet.

^b Nempe Bracarensis in locum Potamii, qui in Concilio Toletano x, Aera Hispanica 694, Christiana 656, cum seipsum de lapsi carnali accusasset, depositus a Patribus est, Fructuosus vero in ejus locum substitutus, qui jam ante Dumensis episcopus fuisse videtur ex his concilii Toletani x verbis: « Tunc venerabilem Fructuosum Ecclesiae Dumensis episcopum communem omnium nostrum electione constitutum Ecclesiae Bracarensis gubernacula continere. » Nisi forte dicamus Fructuosum eodem simul tempore

CAP. XIX. — *Orientem clam petitus retinetur.* Postquam autem cunctam sancti operis sui devotionem, suffragante superiore virtutis opitulatione, ad summam produxit perfectionem, succedit eum immensus sancti desiderii ardor, ut partem occupans Orientis, novam arriperet peregrinationem. Cumque hec cum paucis electis discipulis suis clam pertraxisset, et nave in silu ad subvectionem praeparasset, quem omni predestinatione concordens transfrateret ad Orientem, ab uno preditore detectus discipulo, egressionis aditum non valuit impetrare. Quid multa? Cum haec agerentur peruenit ad Regis temporis illius auditum. Formidans igitur rex et omnes prudentes illi familiariter assistentes, ne talis lux Hispaniam desereret, jussit eum sine aliqua molestia perturbatione comprehendendi, et ad se usque perduci. Cum autem eum perduxissent, atque cum nimis formidine illum custodirent; nocte igitur, ut fertur, habitaculi ostia in quo manebat missis extrinsecus catenatis [Forte catenis] et seris, diversisque duris obserantes claustris, ipsique ibi insuper custodes permanebant. Cumque intempestiva noctis silentio expurgiserentur, claustra procul abjecta ostiaque patefacta cernebant. Ille vero per sanctas Ecclesias orans, securus pieta Domini deprecabatur.

CAP. XX. — *Pontifex factus. Monachi habitum et mores servat.* Post haec videlicet, licet invitatus, contra voluntatem suam, languoris marore depresso, perniciete resistendo in sede Metropolitanā dono Dei ordinatus est pontifex ^b. Tanto igitur suscepto honore pristinam non depositus conversationem: sed in eodem habitu, in eodemque solito abstinentia rigore persistens, residuo vita sua tempore in elemosynarum dispensatione atque in monasteriorum consummatiæ ædificatione ^c.

CAP. XXI. — *Cœnobitis construendis immoratur.* Iterum inter Bracarensē urbem et Dumensem cœnobium in cacumine modici montis præcipuum ædificavit monasterium, ubi suum sanctum hematum est corpus. Tanta illi fuit intentio in sanctarum Ecclesiarum ædificatione, sicut viri domini Cassiani abbatis ejus primi discipuli relatione coguovi, ut cum ante multo tempore suum preconognisset sanctum immunere obitum, et cum multa ibi esset capta operatio ædificationum, propinquante scilicet vita presentis occasum, non solum diurno tempore sine intermissione operabatur, sed etiam nocturnis horis lampadibus accensis in eodem opere perseverabat, ne de hoc saeculo discedens, opus sanctum relinqueret imperfectum. Sicque ope divina adjutus, cuncta que fideliter cooperat diligenter consummavit et fideliter dedicavit.

CAP. XXII. — *Mortis præscius obit.* Finis quippe termino propinquante, febre corruptus, et cum per aliquos dies vi febribus teneretur, quadam die suppulsus tempus a quo illi finis suus dudum fuerat præsagitus, inventus ipsum instare diem, quo de hoc saeculo erat migratus, et nuntiavit adstantibus. Cunetus autem flentibus solus ille exsultabat, quia proculdubio sciebat quod ad cœlestem semipernambaque gloriam properabat. Interrogantibus eum si timeret mortem respondit: Non timeo plane, scio enim quia etsi pectorator, ad præsentiam Domini mei ambulo. Post haec

impositum fuisse utriusque sedi: cum Dumensis Ecclesia, vix tertio milliari a Bracara distans, paucos habuerit peculiares episcopos, sed unus idemque utramque Ecclesiam olim rexerit. Et Martinus Dumensis pontifex primus utrius simul præfuit, ut in ejus Elegio ad ann. 575 diximus.

^c Præter monasteria hic memorata, Fructuosus plura alia erexit fertur, in his monasterium S. Petri de Montibus in tractu Vergidensi diocesis Asturicensis: quod a S. Vincentio abbatे amplificatum, postea vero a S. Gennadio Asturicensi episcopo restitutum a monachis migris ad Cistercienses transiit Johanne Tamayo ad 25 Febr.

juasit se ad ecclesiam deportari. Et cum jam omnia domus sue ordinata haberet, unum veruam suum nomine Decentium, qui ille bene a parvulo servierat, residuum habebat. Jussit eum vocari, et imponens ei manum, ordinavit eum abbatem in praepucio Turonio monasterio. Sicdenique accepta legitime poenitentia non est regressus de Ecclesia, nisi ibi ante sanctum prostratus jacuit altarium diem illum et noctis percurrentem spatium. Ante enim exsurrepte lucis crepusculo, expandens manus ad orationem suum immaculatum est sanctum in manibus Domini

Grasias in Notis ad concilium Toletanum x hæc habet: «Eius memoria cum sanctitatis opinione a populis Bracarensibus et Compostellani colitur festo die dicitio ad xvi Kalend. Maii. Corpus ejus in monasterio ab ipso edificato inter Dunnium et Bracaram sepulture mandatum, postea a Gelmiride primo Compostellæ archiepiscopo Compostellam translatum est, ubi magna populi veneratione colitur.» Monasterium in quo sepultus fuit Montellense vocant, distinctionem a Turonio paulo post memorato, quod prope

tradidit spiritum, qui Sanctos spes coronat per hominem confessionem.

Ad sacratissimum sancti corporis ejus sepulcrum euntibus cunctis perseverant signa virtutis. Nam et insirimi ibi sanantur, et demones effugantur, vel qualcumque moeres ejus invictum postulaverit auxilium, statim plenum a Domino petitionis sue consequitur fructum, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Ieo Patre et sancto Spiritu vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Bracaram situm erat. Quo anno obierit S. Fructusus deslinire non suppetit. Subscripsit concilio Toletoano x, in quo sedi Bracarensi a Patribus in Potamii locum anno Christi 656 suffactus est. Anno iv Wambani regis, Christi 675, Leodecisius cognomento Julianus, Fructuosi successor, concilio Bracarensi subscripsit. Anno proinde circa 671 Fructuosi obitum reponimus. Fructuoso in regimen coequibii S. Petri de Montibus successisse legitur S. Valerius abbas, de quo ad annum 695 agemus.

ANNO DOMINI DCLVI.

SANCTUS ANNEMUNDUS

EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Gallia Christiana, tom. IV.)

Et hic quoque omnia, non a neotericis tantum, sed et ab antiquis permiscentur. Beda quippe Venerabilis, Eddius, Stephanus, Fredegodus, et Villelmus Malmesburiensis, de Wilfrido Eboracensi antistite loquentes, quæ Annemundo convenient, Dalphino, qui Lugdunens s archiepiscopus fuerit, attribuunt. Sed inde confutantur primo quod in antiquis indicibus a Chiffletio editis, alisque, nullus inscribatur Dalphini, sed solus Annemundus: his porro domesticis testibus major quam extraneis fides est habenda. Secundo, quod hæc Dalphini Lugdunensis episcopi obreptio, et Wilfridi, et ipsius Dalphini necis temporibus minime convenient: qui enim Dalphinum admittunt, sub Brunechildi, et illius iussu interemptum affirmant, quod Wilfridi chronologice aperte repugnat; ex Beda quippe factus est Eboracensis antistes cum esset annorum circiter triginta, et post quadraginta et quinque annos accepti episcopatus diem clausit extrellum, anno imperii Hosredi quarto. Hosredus vero in regnum Alfridi patris ex eodem Beda successit anno dominice incarnationis septingentesimo quarto. Obiit ergo Wilfridus anno 709, a quibus si demas 75 quos vixit, natus dicendum est anno 634. Quo ergo pacto potuit interesse neoi Dalphini jussu Brunechildis interempti, qui non nisi longe post illius reginae interitum natus est? Inferendum ergo, aut, quod jam diximus, hallucinatos fuisse extraneos illos auctores: aut utrumque Dalphini et Annemundi nomen gestasse præsulem de quo hic agimus, et primum ab extraneis, alterum a nostris ut speciale usurpatum et unice eidemque attributum; nec vana putetur hæc nostra conjectura, siquidem in veteri breviario cameræ Lugdunensis apud Severium hæc leguntur: Igitor Dalphini, seu B. Annemundi martyris vitam expōnam. His prænotatis,

Aunemundus, qui et Aonemundus, et Annemundus, patre Sigonio Lugdunensium praefecto, matre Petronia natus est; fratrem habuit Dalphini, qui

C et ipse post patrem Lugdunensis urbis comitatum habuit; sorores Betronillam et Luciam in coenobio S. Petri profesas. In Dagoberti regis prætoris calitus est. Percharus fuit Sigiberto et Chlodoveo regibus Dagoberti filii, ac regnante Chlodoveo Lugdunensem pontificatum obtinuit. Vir fuit, ut ex veteri jam citato cameræ Lugdunensis breviario refert Severi, affabilis, fortis, humilis, prudens et instans, in objurgationibus mansuetus, in disputationibus victor, in judicio justus, in bonitate prælatus, in eleemosynis pius, in generositate conspicuus, et in facultatibus letus: tantam denique in eum Dominus suauem contulerat gratiam, ut egregio veneretur a populo, etiam ut gentes eum niterentur placare munieribus; a regibus tamen atque proceribus ita habebatur gratus, ut mox quidquid posceret impetraret, nullusque de aliquibus ad suum profectum quidquam volebat appetere, nisi sua suggestione principi portaret.

Anno 653 subscripsit Chlodovei junioris diplomati quo monasterii S. Dionyui libertatem evolutum. Ejus et aliorum præsulum subscriptiones eradere conatur Cointius, sed eas vindicat Abillonius, quem consule, de re diplom. lib. vi, cap. 7. Jam ante anno 650, juxta Cointii calculos (seu eodem ut aliis placet), Benedictus Bisop. et Wilfridus iter ex Anglia Romanam suooperant, qui cum Lugdunum pervenissent, inquit Beda, lib. v, cap. 20, Wilfridus a Dalphino civitatis episcopo ibi retentus est quia delectabatur prudentia verborum ejus, grata venusti vultus, alacritate actionis, et constantia ac maturitate cogitationis. Unde et omnia quæ necesse habebat abundanter ipsi cum sociis suis donabat: imo offerebat ut si vollet partem Galliarum non minimam illi regendam committeret, ac filiam fratris sui virginem illi conjugem daret, eumque ipse loco adoptivi haberet. At illa gratias agens. . . . respondit ac propositum alterius conversationis habere, et ideo relictæ patria Romam iter agere cœpisse. Quibus auditis